



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

III. Lutherani ad promovendos conatus suos muliebres operas ambiunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

obus Faber, Arnoldus & Gerardus Rufi, Picardi, homines facundi admodum, & in bonarum litterarum ac linguarum studiis, quæ Lutetiæ professi fuerant, bene versati. Et horum quidem manibus prima hæreseos semina in Galliis jacta, paulatim adoleverunt, nimiam facilitatis Episcopo ad conatus eorum connivente. Neque enim quis solus sibi errat, ut ait Sapiens; sed alios quoque in devia mittit: ac fere fit, ut stulti stultitiam suam & deliria aliis, quibus eum sunt, tamquam scabiem affricent.

(a) II. Hi ergo Meldas profecti, sub Catholico habitu semel Lutheranorum (sic enim erant) personam occultantes, mox in civium familiaritatem sese insinuarunt, præcæ interim majorum pietati, à qua plane discessisse videri non volebant, novum aliquod dogma aspergentes, ac præcipue D. Virginis Deiparæ & sanctis cælitibus exhibitum hæcenus honorem, quasi is Deo soli deberetur, calumniantes: qua arte olim quoque Arriani usi sunt, Deitatem filio, quod illa soli Patri competeret, detrahentes; interim vero modo hunc modo illum Fidei articulum partim cuniculis partim aperto Marte, per S. scripturam male detortam, impugnant & convellentes. Et facile quidem illis fuit, ut est gens hominum novitatis avida, eorum animos qui aures ipsis præbebant, novis dogmatis imbuerent, quum plerique indocti lesent & simplices, manuariis artibus vitam sustentantes, sartores, sutores, textores, & id genus. Vbi vero diutius se latere non posse animadverterunt (jam enim ubique fama de hæresi Meldis glifcente percrebuerat) mature collectis velis antequam tempestas ingrueret, naviculam in tutum aliquem portum subducendam sibi statuerunt; Episcopo non minus benigne tutum illis exitum quam ingressum antea procurante, & illis vel solo Martyrii nomine alas ad fugam addente. Episcopus præventus & hæreseos accusatus, ad primam statim correptionem, ignorantiam suam falsus est, ac tandem ad saniorum mentem rediens, errorem agnovit, ac resipuit, & ad extremum usque spiritum deinceps in Catholica Ecclesia perseveravit; ut & unus ex quatuor illis, Arnoldus Rufus. (b) Hinc Beza illud, dicentis in suis Iconibus, Brissonetum præ aliis hanc laudem assequutum, quod primus Evangelium in Galliis præstiterit, qua tamen seipsum deinde privavit, ab iis quibus nimium tribuebat, ita fascinat, ut veritatem abnegavit & condemnarit. (c) Farellus, relicta Gallia, in Helvetiam abiit, Zvinglium de dubiis quibusdam, quæ animo conceperat, consulturus. Inde Genevam profectus,

quæ non multo post ibi facta est, mutationis auctor fuit, ut suo loco dicitur. (d) Faber in Aquitania profugiens Neraci latibulum sibi quaesivit, sub Henrici Albretani, Navarrae regis, qui Francisci sororem Margaritam in matrimonio habebat, favore & patrocinio delitescens, & nescio quam novæ religionis formam commentus, quam ita amplectebatur, ut tamen à veteris Ecclesiæ corpore segregatus videri noller: tanto faciliorem aditum apud reges jam dictos reperiens, quod uterque, & rex & regina, jam ante gustu aliquo Protestantium religionis essent imbuti. (e) Gerardus Rufus, quem Kousselium Galli appellant, in Germaniam abiit, ut magnum hominem, qui fama sui & stupore totum orbem impleverat, oculis videret. Ut vero tres isti diversas semitas ingressi sunt, ita iidem diversas quoque religionum formas, suo sibi quisque modulo, exstruxerunt. Faber cognomento Stapulensis (vicius est ignobilis, unde homo iste obscuro loco natus, prodiit) sub Navarrae regis patrocinio diu vixit; & quamvis Catholicum se ferret, eorum tamen animis quibuscum conversabatur, multos de fide scrupulos injiciebat, & novas opiniones instillabat. Memini me in templo Neracensi Epitaphium ipsius legisse, his verbis conceptum:

(f) *Corpus humo, mæremq; Deo bonu cuncta relinquo
Pauperibus: Faber hæc dum moreretur, ait.*

Quamvis autem Rex & regina è Meldensium illorum fugitivorum sermonibus, in Catholica religione multo facti essent tepidiores, nihil tamen in divino cultu eiusque ritibus mutatum fuit.

(g) IV. Inter hæc dum Franciscus rex in regno suo contra pestilentem illam Rheni inundationem muniendo satagit, Margarita eius soror, Navarrae regina, diverso studio in aggeribus perumpendis & hæreseos rivis in regnum deducendis elaborabat, fucata quadam pietatis & publicæ salutis specie decepta: quem suum errorem ipsa tandem quoque agnovit. Et ut olim Arriani Imperatorem captantes, ut fidem sibi facerent, in sororis ipsius gratiam sese insinuarunt; sic Lutherani tam clanculari quam notorii, quum Francisci regis aures sibi obstructas animadverterent, ad sororem eius Navarrae reginam, recursum habuerunt, miseris sibi inimicorum fraude oppressis, auxiliū tam voce quā

E c 3 libellus

(a) Primi hæreseos præcones. (b) Beza in Iconibus. (c) Gulielmus Farellus. (d) Iacobus Faber Stapulensis. (e) Gerardus Rufus. (f) Mortuus Anno 1532. (g) Lutherani seminarum operarii, & quarum.

libellis petentes; velut proxenetis aut productricibus ad hoc usi feminis quibusdam è gynæceo, jam ante à se irretitis. Inter hæc præcipua fuerunt Stamparum Ducissa, regis gratia florens, nec non domina de Cani, & Peissleu, quarum hæc Ducissa erat soror: à quibus deinde alia atque alia in eandem nassam fuere pertractæ. Nec sane multo sanguine hæc victoria constitit: plerisque Ecclesiasticarum legum, earum præsertim quæ de peccatorum exomologesi faciendâ latæ sunt, pertaxis, ac manus ultro tendentibus. Meminerat serpens ille astutissimus, quam feliciter hoc telo in terrestri illo paradiso contra primum nostrum omnium patrem usus esset, eoque miserum unâ cum toto humano genere, uno ictu prostravisset: itemque quantum numerum filiorum Dei, muliebribus technis per Balaamum pseudopropheta subvertisset. Nec ignorabat, hæc una machina plusquam ceteris omnibus viros quosdam, expugnari ac vinci posse: atque ideo tam prioribus quam posterioribus his sæculis ea plerumque usus est. Proprium enim feminarum esse S. Hieronymus dicit, ut decipiantur, & deceptæ, alios decipiant. Quod si prima femina diaboli partibus se non ad adjunxisset, nulla illi spes de patre nostro Adamo expugnando fuisset. Tertullianus de prima nostra matre Eva loquens, eam, ait, portam fuisse diaboli, ut quæ prima ad fructum interdicitum manus extendit, & prima à Deo defecerit, & Dei in homine imaginem quam diabolus aggredi ausus non fuerat, momento temporis obliterarit, Apud Origenem Lucifer ille gloriatur, ad viros expugnandos nullis se armis quam pristinis illis, nempe muliebribus technis uti. S. Chrysostomus vero ait, diabolum, extincta omni Iobi familia, solam uxorem voluisse manere superstitem, ut per eam invictæ illum pietatis & patientiæ militem, qui in sterquilino sedens, & & testa ulcerum saniem detergens, multo majorem quam aureæ aliorum statuæ, claritatem ac splendorem de se fundit, oppugnaret. Et sane Evam tum ille alteram repererat, sed non veterem illum Adamum. Easdem machinas deinceps magistri illius discipuli ut plurimum adhibuerunt. Simon Magnus, primogenitus Sathanæ (ut à S. Ignatio appellatur) ad propagandam suam hæresin, Helenæ cuiusdam operatus est; Apelles, Philumenæ, Tertullianus testatur. Marcion vero per feminam aditum sibi Romæ patefecit. Montanus Priscillam & Maximillam quasi cooperarias habuit. Paulus Samosatenus sub Zenobiæ alis latuit. Arriani in primis adjun-

ctis ad suas partes Imperatorum uxoribus, acerrime sæpe Catholicos oppugnarunt. Eorum dux Arrius per Constantiam magni illius Imperatoris Constantini conjugem effecit ut ab exilio revocaretur. Priscillianus feminis ad se miro verborum lenocinio alliciendis ante omnia studebat. Nicolaus eadem arte integros feminarum greges sibi adjunxit: quibus mox juvenes nō minori numero sese adjunxerunt. Cur vero hæretici feminas præcipue caprent, S. Chrysostomus hanc rationem reddit, quod illis sexus vitio & temeris & nimis credulis, facile error etiam quicumq; persuaderi possit. Sed ad viduas iudè potissimū sese applicare solent, quod maritata non tam facile circumvenire possunt, ut quæ viros suos in consilium adhibere solent, nec de bonis, quæ in maritorum sunt potestate, quidquam fere cōmunicare possunt. Ergo vnde certior victoria ac lucris spes se ostēdit, aut jūvētuti, aut feminino sexui insidiantur. Hunc hæreticorum morē esse idē Tertullianus ait, ut quibus nullæ alias vires sint quam quas ex aliorū infirmitate sumunt: eōq; non facile alios aggredi quam ætatem illam improvidā, & sexum imbecillem. Nec mulieribus tantum, sed & aliis per mulieres diabolus retia sua tendit. Illas ubi ceperit, eis deinde tamquam decipulis ad alios capiendos utitur. Habet omnino sexus ille molle quid, sed occulta magis vi quam aperta violentum, quo virorum animi ita domantur ac subjugantur, ut etiam quum possunt, jugum hoc excutere nolint. Non sine causa nescio quis, feminas vel margaritis preciosiores, vel aspidibus magis venenatas esse dixit. In bellis quidem ob religionem gestis mulierum fusa & colus plus mali neverunt ac texerunt, quam præpilata virorum hastæ & gladii acutissimi damni dederunt.

III. Navarræ regina, bona, sed nimia facilitatis Principissa, postquā semel hæreticis aures præbere cœpit, libros eorundē per gynæceum sibi oblatos, non modo non repudiavit, sed cupide etiā recepit, ac legit; dato etiā Sylvanæ tenfi Episcopo, qui regi à sacris erat Confessionibus, negotio, ut consuetas Precationū Ecclesiæ formulas è Latino in vulgare sermonem cōverteret, multisq; cum ea habitis sermonibus, quibus ut de nova religione melius sentiret, homini persuaderi posse sperabat. Domus ipsius omnibus ob religionē proseripis lac profugis in star asyli erat. Illud sane utriusq; partis historiographi testatur, huic uni feminæ, nihil mali cogitati, Lutheranos in Gallia salutē suā debere; & ret hæc unam stetisse quominus Reformata, ut postea